

Vita Chrisitani Urstisii, [...], tandemque civitatis tabulario praefecti

Autor(en): **Iselius, J. Christophorus / Urstisius, Christianus**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 7

PDF erstellt am: **27.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394609>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

V I T A

(*) CHRISTIANI URSTISII,

*Artium Mathematicarum, dein S. Theologiae in Ba-
filiensi Academia Professoris,
tandemque civitatis tabulario praefecti;*

Scripta a

JAC. CHRISTOPHORO ISELIO,
Bafilensi, S. Th. D. & Prof.

Magnis eximiisque viris, qui ab omni me-
moriam intra brevem terminum vitae di-
gnos sese sempiterna gloria praestitere,
& , cum gravissimis laboribus pro re publica sus-
ceptis atque toleratis spatium hocce mortalis aevi,
quod quidem ad vivendi tempus attinet, sibi ipsi
quodammodo contraxissent coarctassentque, ja-
cturam ejusmodi celebritate nominis in perpetuum
duratura pensarunt, ac vere, quod Poeta ait,
Tom. II. E e vitam

(*) Miserat hanc Vitae Urstisii descriptionem Vir Cel.
ad G. C. Johannis, Gymnasii Bipontini Professore ac
Rectorem Cl. sub exitum a. 1725. Cogitabat eo tempore
doctiss. Johannis de recudendis scriptoribus Hist. Germ.
quos Urstisius collectos ediderat, iisque hanc enarratio-
nem praefigere statuerat. Quum vero illa Urstisianorum
scriptorum nova editio, nescio quo malo fato, in spon-
giam incubuisset, non aequum est visum, ut elegans li-
bellus in scriniis vel in carcere detineretur: Cum & ipse
Urstisius, & auctor digni videantur, quorum memoriam
omnes pii eruditique colant, J. C. BECK,

vitam extenderunt factis, adnumerandus quoque sine dubio est *Christianus Urstifius*, qui non magis de Basiliensi Academia, in qua ante sesqui sæculum vixit ac floruit, quam de optimis litteris atque disciplinis insigniter meritus est. Editus is in lucem fuit Basileæ paullo post auspiciis Anni a C. N. CIOXLIV. Patre *Pantaleone Urstifio*, viro spectatæ integritatis, & qui in senatum hujus Urbis adlectus eum locum non sine dignitate ad finem vitæ tuitus est: id quod eo quidem tempore haud perinde cunctis, ut quisque semel in amplissimum locum erat lectus, in Helvetiæ civitatibus, quippe Senatum quotannis noviter sibi legere & creare solitis, obtingebat, prout hac ætate nostra fieri communiter videmus. Quinimmo neque litterarum plane rudem hunc fuisse *Pantaleonem Urstifium*, certe veteres historias, ut poterat, diligenter attenteque legisse, adnotationes quædam arguunt atque observationes ad historiam pertinentes, quas ex antiquis quibusdam Chronicis, quanquam vernaculo sermone scriptis, ipsemet excerpfit, ac litteris mandavit, filius autem deinceps, hic ipse cujus vitam exponimus, spisso Volumini hujuscemodi fragmentorum, undiquaque collectorum & conquisitorum, ut institutis rerum Rauricarum Commentariis materiam præberent, sibi censuit inserendas esse, & hujus sui Parentis diligentiam deberi suamet manu in prima charta declaravit. Ipsa Gens *Urstifiorum* ab ultima, vel certe longissima origine, quæ quidem repeti memoria possit, stirpis Basiliensis est, ædesque non ignobiles ab *arcendo* vel *cobibendo incendio* dictas (vernacule *zum Schalten-Brand*) sitas in longissima urbis via, quæque
 eam

eam veluti mediam interfecat , multis annis tenuit. Nomen ipsum , quod latine scribentes nonnihil a germanica pronuntiatione inflectimus , addita una littera *Wurstiforum* fuit ; unde & *Christianus* noster pro multorum ejus tempestatibus doctorum hominum consuetudine græce ad verbum reddens sese in juventute *Allassiderum* (*) appellavit. Illa igitur in Gente ac domo natus is , cujus vitam scribere aggredimur , animum a prima pueritia ad bonas artes appulit , eaque usus opportunitate , quam ipsi Patria suppeditabat , scholarum quidem puerilium spatia An. CIOCLVIII emensus est ; inde biennio post lauream artium liberalium , & iterum aliis duobus annis lapsis earundem disciplinarum Magisterium more & ritu jam olim in Academiis introducto cepit ; non sine insigni laude , magnaque de se in posterum concitata expectatione. Ex eo nomen Sacris Litteris dedit ; sed cum earum studio adeo diligenter tam omne genus Mathematicarum Scientiarum , quæ quidem illa tempestate vel ex libris peti , vel a vivis Doctoribus addisci poterant , quam cuncti ævi historiarum investigationem conjunxit , ut , cum in singulis paucos pares haberet , etiam ex his , qui in iis solis elaboraverant , de ipso tamen difficile dictu esset , eccuius disciplinæ de tribus cognitione atque intelligentia potissimum excelleret. Mathematica quidem jam inde ab A. CIOCLXV. vixdum expleto anno ætatis uno & vicesimo publica au-

E e 2

ctori-

(*) Nomen compositum est ex *ἄλλος*, farcimen, & *αἰδύπος*, ferrum.

Et oritate in Academia docere cœpit, ei ipsi, quo fuerat Præceptore usus, *Johanni Acronio*, natione Frisio, suffectus. Ac tum quidem præter assiduas recitationes, publicas pariter atque domesticas, quibus ipsum cupidæ harum pulcherrimarum artium juventuti maximos uberrimosque fructus attulisse accepimus, etiam libellos quosdam eodem pertinentes hoc in munere edidit; veluti *Arithmeticam doctrinam*, & *Quæstiones in Purbachii Theorias Planetarum*. Qui libri longo deinde tempore Mathematicarum disciplinarum Professoribus in Basiliensi Academia materiem scholarum atque explicationum publicarum præbuere, talesque sunt omnino, ut iis lectis facile homines docti intelligant, quam non perfunctorie isto in studio versatus fuerit *Urstisius*, quam pauca eum fugerint in hisce artibus, quæ disci tum quidem poterant, denique quam non difficile ipsi fuerit futurum, cæteris suæ ætatis palmam eruditionis in illis præripere, nisi eodem tempore incredibilem diligentiam, & propemodum ante ipsum inusitatam in historiarum investigatione atque descriptione posuisset. Nimirum qui res omnis ævi memoratu dignas mature admodum perdidicerat, ac omne genus auctorum in lucem editorum, e quibus aliqua pars hujusce notitiæ poterat hauriri, studiosissime pervolutarat, statuit pro se quoque amplificare exaggerareque ejusmodi disciplinam, & quem ipse ex aliorum monumentis atque commentariis cœperat voluptatis simul & utilitatis fructum, eundem suo pertinacissimo labore assiduisque vigiliis parare atque afferre aliis. Accessit singularis quidam erga Patriam affectus, qui stimulos optimo viro atque civi adderet, uti

ejus

ejus præcipue vetustas origines ac historias explicare illustrareque aggredieretur. Opus erat arduum, ac ante id tempus ob summam difficultatem, quam plerique in tanta paucitate veterum memoriarum atque monumentorum vinci ac superari posse desperabant, penitus desertum neglectumque. Sciunt, qui in Basiliensi, atque adeo Raurica, antiquitate non plane sunt hospites, quanquam Urbs ipsa inde ab Hungarico excidio, cum A. post C. N. MDCCCXVII gens ferocissima atque omnis tum fere Europæ terror & calamitas ipsam evastavit ac in cineres redegit, nunquam postea vi hostium capta atque intra moenia sua afflictâ fuerit; tamen crebris incendiis atque etiam tremoribus terræ cum incendio plerumque junctis, præcipue autem illo atroci acerboque casu, qui A. MDCCCLVI. [1356.] longe ac late circa Jurassum montem firmissima quævis ædificia miserabilem in modum partim concussit evertitque, partim flammis ex ipsa domuum ruina, ut fit, enatis atque erumpentibus magnam ac pæne præcipuam ejus partem simul exussit & concremavit, ita omni copia veterum chartarum ac memoriarum, cum quæ universim ad civitatem pertinerent, tum quæ privatorum erant propriæ, nudatam ac spoliatam fuisse, ut, nisi hæc egestas aliunde esset expleta, nisi vetustiores res Rauricas alia plane ratione ac via, aliisque ex documentis homines docti ac seduli indagassent atque eruissent, seipsam, qualis vel ante tertium quartumve sæculum exstiterit, necessario ad hanc diem fuerit ignoratura. Quapropter dici verbis non potest, quantum adhibuerit industriæ, quam graves ærumnas tolerarit, quot in partes

formasque sese vertere opus habuerit , ut huic penuriæ succurreret , ac sic quoque perpetuam seriem historiæ Rauricæ contexeret , noster iste *Ursifius*. Vel sola profecto deformatio designatioque , non jam Operis ipsius dico , sed vel laboris tantum , sive ejus viæ & rationis , qua materies illa conquiri & parari deberet , e qua id Opus postmodum construeretur concinnareturque , quemlibet non valde constantem in proposito , aut voluptatem studiorum minus laboriosam paullum modo huic ærumnosæ & molestæ præferentem , in ipso limine adituque sine dubio absterruisse. Hic vero certus , nullum genus curæ , studii , laboris recusare , dum veritatem profundissime demersam erueret aliquando & in claram apertamque lucem proferret , quidquid usquam in Urbe atque circa Urbem tam apud Collegia sacra ac monasteria , quam penes quoslibet homines privatos supererat veterum chartarum , Diplomatum , memoriarum , commentariorum , Annalium etiam de rebus in hacce regione gestis , pertinaci assiduaque multorum annorum diligentia & sollertia plane singulari excussit excerpfitque , tanto numero , ut vel soli indices titulorum ex eo , quod initio commemoravi , *Collectaneorum Ursifianorum* Volumine a me in privatos usus studiorum adnotati collectique plures paginas impleverint. Neque vero in ea re , quod nonnemo forte experts hujusmodi studiorum opinabitur , laborem solummodo assiduum crebrasque pertulit vigilias , aut illas duntaxat molestias & ærumnas in se suscepit , quæ in tot explicandis declarandisque veteris ac persæpe fugientis & evanidæ scripturæ siglis ac pæne ænig-

ænigmatis necessario devoranda erat ; sed etiam porro ingenii acuti ac multa jam arte atque meditatione exercitati vim adhibuit ejusmodi , quæ multis in locis ac sententiis istorum monumentorum ea videret inveniretque , ac deinde ad varias partes antiquæ nostræ historiæ explanandas & confirmandas aptissime converteret , quibus simili ratione deprehendendis aut investigandis pares pauci fuissent , sollertior autem atque perspicacior fortasse nemo. Ceterum hoc primo & longe præcipuo labore perfunctus , veluti materia cæsa & comportata , ipsa deinde opera , quæ animo destinaverat , faciliori negotio , sed cura profecto & sollertia haud minore , perfecit absolvitque. Initium ab *Epitoma Historiæ Basiliensis* factum , Anno CIOIOLXXVII latino sermone edita , quæ pariter gustum aliquem largioris epuli , quod cum maxime instruebat , doctis hominibus præberet , pariter etiam ipsorum judicia mature tentaret exploraretque ; cum omnino is liber majoris voluminis , in quo vel maxime elaborabat *Urstisius* , concinnum aliquod & valde accuratum esset Breviarium , resque omnes , quæ dignæ viderentur studiosorum antiquitatis cognitione venusto in compendio terse ac perspicue exhiberet. Et secuta est profecto doctissimorum quorumvis hominum elegantiumque æstimatorum hujuscemodi laboris litterarii singularis quædam & mire conspirans approbatio , qui inde ex eo tempore nunquam cessarunt veluti certatim rogare atque obsecrare *Urstisium* , ne tardaret illud etiam amplius copiosiusque opus , cujus brevem tantum adumbrationem ac delineationem , edito hocce Breviario , præmiserat , quam primum

promere. Neque tamen prius, quam anno deinde tertio, id in lucem est editum: non tantum, quod adduci nequiret homo omnis officii observantissimus, uti minus propterea discipulorum studiis inferviret, qui disciplinas Mathematicas tam publice in Auditorio Academiae, quam privatim domi suae sollertissime tradentem vehementer gestiebant audire; verum ideo quoque vel maxime, quoniam assidue rimanti atque investiganti multae undique chartae ac notitiae veteres antea nondum cognitae ac lectae quotidie offerebantur, quae partim variis illorum commentariorum capitibus amplius illustrandis & confirmandis, partim etiam historiis quibusdam ad res Rauricas pertinentibus noviter describendis explicandisque materiem amplam atque uberem suppeditarent. Ceterum de ipso Opere, quod passim eruditorum virorum manibus, qui quidem Germanice sciunt, teratur, ac plurimorum elogiis jam pridem ornatum & cohonestatum sit, nihil necesse arbitror, multa dicere. Tantum in illorum gratiam, qui ejus sermonis expertes ipsi per se id legere atque aestimare haud valent, & tamen vitam *Urslisii* ac merita in bonas litteras sic quoque avent cognoscere, paucis memorabo: Quum in duas omnino partes distributi illi sint Commentarii, priorem quidem, quae vetustae regionis Rauracorum pariter cum omni circumquaque vicino tractu descriptionem continet, perfectae cujusdam Chorographiae specimen velutique exemplar esse, in qua nihil ad historiam cujuscunque oppidi, pagi, vici, arcis, fluminis, rivi, montis, nemoris, praecipue vero etiam ad stemmata Gentium ac familiarum illustrium, quae variis

tempo.

temporibus in iisdem hisce oris locisque effloruerunt, aliquo pacto pertinens desideretur, quod quidem ex vetustis chartis ac memoriis humana industria erui illa tempestate potuerit: Partem vero alteram ejus Libri, non tantum res ab omni vetustate in hac regione Raurica, & reliquo circumquaque vicino tractu gestas pariter cum Episcoporum Basiliensium serie atque factis venuste copioseque, quantum ex omni genere monumentorum colligi ac peruestigari poterant, exponere; verum etiam multa capita partim antiquæ illius Alemannicæ atque Francicæ historiæ, partim ejus, quæ paullo est recentior, ac saltem nomen paullum immutavit, Germanicæ, Gallicæ, Burgundicæ, quatenus hæ cum nostra ista aliquo pacto junguntur & cohærent, mirifice illustrare; ut, qui unam ex istis penitus discere & cognoscere voluerit, is libro *Ursifiano* carere nullo modo queat. Sed de hoc jam satis. Ceterum ipse eadem tempestate atque opera, certe ex eadem sylva materialium, quam indefatigabili labore ab illo comportatam & coacervatam undiquaque esse supra ostendimus, aliud porro opus egregium exstruxit, quod etiam propius ad hancce Basileam nostram pertineat, ac industriam solertiamque auctoris nihilo minorem, quam illud *Chronicon Rauricum*, prodat; quanquam volumine ac mole sine dubio vincatur. Observaverat *Ursifius* vel primus vel inter primos certe munimentum illud a Valentiniano Romano Imperatore prope Basiliam excitatum, cujus mentio est apud *Ammianum Marcellinum*, (*) & quod idem

(*) Hist. L. XXX. C. 3.

iste auctor *ab accolis Robur* scribit *appellatum fuisse*, partem esse Urbis nostræ eam ipsam, quæ in summo clivo atque colle eo, qui ad ripam dextram Birseci rivuli, quo loco iste in Rhenum effluit, leniter assurgens desuper huic fluvio imminet, ac priscae appellationis vestigia retinens, cum pluribus vicis, insulis, areis constet, tamen ab omni memoria suo quodam ac proprio nomine, *auf Burg*, a reliquo oppido secerni ac distinguere consuevit. Argumenta in eam rem complura afferebat, valde firma & probabilia. Nam præter nomen istud, quod modo dixi, multis utique indiciis ac documentis constat, vetustam illam Basiliam *Ammiano* memoratam, & prope quam adeo munimentum illud *Valentiniani* exstructum hic Scriptor narrat, ad ripam utramque Birseci paullum in longitudinem porrectam, neque a Rheno tam procul excucurrisse, ac ea, quæ nunc est urbs, neque etiam in geminum clivum, cui plurimis jam annis maximam partem incumbit, valde adhucdum adscendisse. Unde conficitur, & quadrare egregie in eum collem *Ammiani* verba, cum prope Basiliam *Roboris* nomine munitionem esse exædificatam ab Romano Imperatore narrat, & situm ipsum mire accommodum atque opportunum fuisse arci ejusmodi, quæ coërcendis ac refrænandis Alemannorum jam tum ad sinistram Rheni amnis ripam, Basiliæ objectam, agentium, crebris trajectionibus, excursionibusque in vicinam Provinciam, potissimum destinabatur; præsertim cum longissimo inde tractu nullus usquam sese ostendat locus, qui ita alte supra ripam ipsam fluminis editus elatusque sit, vel tam longe in oppositos ultra Rhe-

num

num campos collesque prospectum habeat. Accedunt denique & nummi, qui in ista tantum, quam dixi, gemina regione Urbis, sed tamen præcipue in illa parte editiore, cui ab omni retro vetustate nomen fuisse *auf Burg*, supra indicavi, haud admodum rarerentur ex fundamentis ædium effodiuntur, maximam partem Constantinianorum temporum & vel præcipue ipsius Gratiani, Parentisque ejus Valentiniani, item & Valentis ac Valentiniani junioris, qui dubitare neminem sinant, quin ea loca ante excidium Romani imperii ab hominibus inhabitata, atque adeo domibus atque ædificiis frequentata fuerint.

Non videtur hoc loco prætereundum esse, quando tam opportune in mentionem *Roboris* a Valentiniano prope Basiliam conditi incidimus, præter testimonium *Ammiani*, quod unicum in eam rem occurrerat *Urstisio*, aliam quoque extare auctoritatem mire aptam ad hancce historiam confirmandam illustrandamque in L. 33. *Cod. Theod. de Cursu publico*, quando hæc lex præscriptis nominibus Valentiniani, Valentis & Gratiani A A A. memoratur data esse Idib. Jul. Robore Gratiano III. & Aequitio Consulibus, qui idem ipse est annus, quo perfectam eam munionem fuisse *Ammianus* tradit; unde nimirum etiam ibidem tantisper habitasse & res imperii administrasse illum Principem liquet.

Hancce itaque Urbis nostræ regionem libro singulari ornare ac describere aggressus *Urstisius*, cum reliqua omnia, quæ ad ejus antiquitatem & præcipuorum quorumvis ædificiorum variis tem-
pesta-

pestatibus ibi exstructorum notitiam pertinent, diligenter ac venuste exposuit, tum vero Summi Templi, quod pariter ea regione Urbis continetur, historiam prodidit ejusmodi, ex plurimis vetustis chartis monumentisque excerptam & collectam, quæ non modo a nostris hominibus cum summa voluptate legatur, verum alienos quoque utili & jucunda multarum rerum notitia instruere sit idonea. Ceterum hic liber necdum in publicam lucem editus dominum nunc cum maxime habet virum pl. Rev. atque ejusmodi possessione vel imprimis dignum, *Job. Henricum Brukerum* (*), Ecclesiæ oppidi Lucisvallis in agro nostro Raurico Pastorem & Concionatorem, omni genere virtutum ad hoc gravissimum munus recte gerendum ornatum, quem facile speramus, illius usum doctis hominibus & hujus antiquitatis studiosis, ubi ipsorum desideria id videbuntur flagitare, lubenter concessurum esse.

Sed ad *Urstisium* revertimur. Qui post exantlatos superiores labores animum continuo ad aliud Opus egregium applicuit, cujus etiam multo latius pateret utilitas, cum id plane parti longe nobilissimæ historiæ Germanicæ præclaram facem posset allucere. Nempe invenerat in illa diligentissima conquisitione & investigatione monumentorum ad antiquitates
Rau-

(*) Est iste Vir hoc ipso anno ad Pastoratum Ecclesiæ Petrinæ Basiliensis suo merito vocatus, postquam per complures annos Archidiaconatum Ecclesiæ Cathedralis gessisset. Filius ejus est ejusdem nominis *Historiarum in Acad. Bas. Prof. Clariss.*

Rauricas pertinentium non pauca etiam Chronica manu exarata *Urstisius*, partim nunquam antea praelis excusa, partim multo locupletiora atque emendatiora, quam edita fuerant ad eam diem; videbatque omnino, plurima in iis contineri, de rebus Germaniæ præsertim, quæ dignissima essent hominum elegantium cognitione, neque tamen in illis Commentariis atque annalibus Rauricis, quos dixi, locum idoneum ac proprium usquam habuissent. Quapropter non longa instituta deliberatione illud sibi deinceps negotii datum esse credidit, ut quidquid in eo librorum acervo bonæ frugis atque eximium videbatur, id cunctorum usibus palam proponeret. Sic ergo natum est geminum Volumen *Scriptorum ad res in Germania gestas inde ab Henrici IV Imperatoris tempore illo infesto ac mire turbulento usque ad A. MDCCC. pertinentium*. De quo novo & adeo ultimo viri diligentissimi labore nihil attinet hoc loco plura dicere, non modo quod istorum ipsorum editioni librorum opportune iteratæ hæc *Urstisii* vita præfigenda est; verum etiam ideo vel maxime, ne quidquam a me præcipiatur præcerpaturque eorum, quæ Clarissimus Editor (*), vel potius Restitutor Operis de illius laude ac præstabilitate ex ditissimo penu doctrinæ suæ, multis jam insignibus documentis declaratæ, expromere cogitat; quando hic suo jure postulare potest ac debet, ut ejusmodi argumentum integrum & illibatum sibi servetur & relinquatur.

(*) Vide Not. sub initio positam.

quatur. Hactenus de libris & commentariis
Urstifii. (*)

Vix hæc ad finem erant perducta, cum ecce tibi alia viro subnascitur laborum series, non quidem fortassis rei publicæ litterariæ pariter, uti superiores fuerant, utilium, sed Patriæ ipsius profecto, huic, inquam, Basiliæ nostræ, sine ambiguitate longe fructuosiorum; ac tanto magis quidem, quoniam, cum tempora incidissent ejusmodi, quæ virum *Urstifio* similem ad duo munera tam ab se invicem, quam a superioribus istis diversa ex ordine admoveri, ac, si opus, etiam compelli, necessario requirerent, nemo tamen inveniebatur tum quidem, de quo tantam spem civitas nostra, quantam de hoc, valeret concipere.

Duo viri in Basiliensi Academia ea tempestate,
& erat annus A. N. C. CIOIOLXXXIII, publice
pro

(*) Libris ab *Urstifio* editis addi debent *Paulli Æmilii & Arnoldi Ferronii Historiæ de Gestis Francorum*, ad a. 1574. perductæ, & in germanicam Linguam versæ, Basileæ in f. excudit *Henricus Petri*. Cæterum invenio *Emanuellem Urstifium*, Basiliensem, Medicum sub initio sæculi XVII florentem, & Biennæ Medicinam facientem, observationes Medicas Epistola comprehensas data Biennæ d. 21. Jan. 1615. *Fabricio Hildano* misisse, quas iste *Operibus suis* inseruit. Vid. *Fabricii Hild. Centur. Epist. 28.* Nec dubito hunc fuisse *Christiani nostri* filium, quem *Medicæ Facultatis Basil. Matricula* docet, a. 1594. in numero *Studioforum Medicinæ* fuisse; quum alias istius gentis, nunc penitus extinctæ, propagines haud inveniamus. J. C. B.

pro cathedra sacras litteras docebant , *Simon Sulcerus* , & *Ulricus Coccius* , ille præter Professionem Theologicam etiam primario Urbis templo præfectus Ecclesiarumque Antistes , hic simul Pastor *Ædis Petrinæ*. Nam qui tertius in Collegio esse debebat , & quodam tempore fuerat , *Job. Jac. Grynæus* non multo ante vehementer poscenti Palatino Principi *Johanni Casimiro* concessus fuerat , uti operam ipsi tantisper in constituenda Ecclesia Academiaque *Heidelbergensi* navaret , quoad hæc re perfecta a civitate nostra revocaretur. Ibi accidit , ut ambo illi superiores intra spatium paucorum mensium tam ingravescente senectute , quam orta inde imbecillitate perpetua valetudinis morbisque propemodum concatenatis , commisso sibi munere amplius fungi prohiberentur. Quapropter cum ejusmodi incommodo remedium deinceps ab ipsismet expectare , ut erat utriusque ætas , vanum omnino & frustra-
neum videretur , re diligenter ac serio deliberata expensaque factum decretum est , conspirantibus Senatus Urbani pariter atque Academici sententiis , ut senes quidem illi duo , quemadmodum optabant & necessario petebant , rude donarentur ; interea vero , donec alterutrius mors novis consiliis locum ac viam ostenderet , viri tres alii sanctissimam disciplinam traderent Academicæ juventuti , *Christianus* hic noster *Urstifius* , *Johannes Brandmüllerus* & *Beatus Helius*. Et hosce quidem cunctos mandato sibi munere pro sua quemque parte egregie functos multis præclarisque documentis comprobatum habemus. Sed ne tamen obscurum esset , primas utique datas fuisse *Urstifio* , illud facit , quod hic , *Ulrico Coccio* altero post
anno

anno fato functo , cum necdum Heidelbergæ *Gryneus* rediisset , quam *Coccius* tenuerat cathedram , absque ullo ambitu concordibus utriusque Ordinis suffragiis statim honestissime est consecutus.

Neque vero docendo solum ac disputando hoc in munere sacrarum litterarum studia mirifice adjuvit ; sed pro sua pietate ac prudentia alia quoque in re maximi momenti utilissimam Patriæ navavit operam. Nam cum *Sulcero* atque *Coccio* Professoribus nescio quo pacto (neque enim hic satis idoneus est locus de eo negotio copiosius exponendi) Basiliensis Ecclesia ab Helveticis ceteris , quibuscum antea inde a beato *Oecolampadio* arctissimo fœdere conjuncta fuerat , sensim abstracta esset , ac jam pæne prorsus avulsa , qui captum ex ea re dolorem etiam vivis illis & cum maxime florentibus nunquam dissimulaverat *Urstius* , simulac provinciam suscepit ejusmodi , quæ facultatem aliquam daret , medelam ei malo afferendi , jam tum ante reditum *Grynæi* nihil habuit prius aut antiquius , quam uti repudiatis istis ultimis consiliis ac sententiis , quæ profecto etiam aliis multis viris optimis , & religionis atque Patriæ amantissimis valde displicuerant , totum se se ad primorum temporum instituta exempla referret & conformaret , atque Helvetiorum fratrum concordiam studiose tam ipse pro se coleret , quam colendam aliis suaderet. Et successit sane hæc res præclare , *Grynæumque* paullo post Heidelbergæ revertentem , cum is eandem plane viam & rationem sibi insistendam esse , etiam ante iter *Palatinum* , in animum induxisset , mirifice sublevavit.

Nihil

Nihil agebat jam vel cogitabat *Urstifius* aliud, nisi de suscepta tam feliciter provincia porro quoque ornanda. Jamque in eo erat, ut insignia Doctoris Theologi, ipso Brabeuta *Grynæo*, primo quoque tempore capefferet; cum præter opinionem tam *Urstifii*, quam aliorum, vacante tum forte præfectura tabularii, Senatus civitatis gravissimam provinciam ei potissimum mandandam esse decernit. Cujus quidem decreti fortassis haud abs re fuerit causas & rationes paullo altius repetere, ne vel Ordo Amplissimus in *Urstifio* a sacra cathedra quomodocunque detrahendo non pro reliqua sua pietate ac prudentia fecisse existimetur, vel ipse *Urstifius*, qui in ea re morem Senatui sine detrectatione gessit, contra officium constantiamque Doctoris Christiani aliquid peccasse possit videri. Quanquam sane omnis ista dubitatio verbo pæne unico expediri potest, cum constet ea tempestate non tantum gravissima jura nostræ civitatis, cujus incolumitate Ecclesiæ quoque securitas, ac tranquillitas continetur, a vicinis quibusdam impetita atque oppugnata esse, verum etiam ipsi religioni varia undique pericula fuisse intentata, hasque ob causas in Senatu Urbano gravissimas deliberationes quotidie institui solitas. Ecquis enim non intelligit, in ejusmodi discrimine plurimum omnino reip. interfuisse, adhiberi vel maxime hominem simul sacrarum litterarum plena ac perfecta cognitione præditum, simul rerum atque jurium civitatis apprime intelligentem? Ne longior sim, ut quisque vel prudentia alios anteibat, vel religionem atque Patriam præcipue cordi & curæ habebat, ita constantissime & acerrime pugnabat contendebatque,

utramque pariter in manifestum adduci discrimen, nisi *Urstifius* eligeretur. Nam, ne vel hoc omit-
tam, quod rerum nostrarum gnaris in mentem
venire isto loco posset, qui solus tum quidem
præter *Urstifium* ad eandem tuendam dignitatem
mire aptus in civitate erat *Bonifacius Amerbachius*
J. C. & Syndicus, præterquam quod alio jam in
munere operam reip. navabat, atque adeo ad
ejus causas defendendas pridem erat auctoratus,
nimium insuper proventus ætate esse credebatur,
quam uti novum onus ejus humeris senilibus im-
ponendum esse videretur. Quæ cum ita sint,
minime profecto nobis verendum est, ne quis
homo cordatus & quorumvis officiorum prudens
æstimator, vel Senatam illum, qui *Urstifium* sibi
ad curam tabularii litterarumque publicarum ad-
legit adscivitque, vel etiam *Urstifium*, qui Se-
natus Auctoritati ac mandatis paruit, quidquam
in sese culpæ suspicetur admisisse.

Illud tantum voluissent, sed frustra, eheu!
omnes boni ac pii, quibus Patriæ salus atque
utilitas cordi erat, uti provinciam tanta cum spe
atque exspectatione cunctorum, tam prudenti
consilio, tam denique necessario commissam,
etiam longiori tempore, quemadmodum ætas
ipsius, & quæ ad eam diem fuerat, valetudo
polliceri videbantur, retinere ornareque potuisset.
Verum enimvero ita tulit casus infestus, ut hujus-
ce sui consilii breves tantum, & sane præclaros
atque uberes, sed non etiam diuturnos fructus
ferrent optimi illi & sapientissimi Viri, qui tum
Basiliensem civitatem administrabant. Etenim
dum ille ad novum genus laborum & curarum
etiam.

etiam novam quandam industriam atque assiduitatem conatur afferre, dum & dies totos in Conciliis ac deliberationibus Senatus, vel in tabulario isto publico conterit, & noctes excutiendis chartis ac membranis eodem pertinentibus indefinenter consumit, uno verbo, dum se ipsum & illam suam superioris temporis indefatigabilem industriam vincere omni modo studet, vixdum sesquianno ita exacto, plane in flore ætatis, quippe annos natus haud amplius XLIV. & menses tres, A. CIOCLXXXVIII. a. d. III. Cal. April. finem fecit vivendi. Ceterum quanto cum luctu Magistratum, qua cum civitatis universæ mœstitia, quo dolore hominum doctorum tam hujus Urbis, quam eorum, qui usquam terrarum *Urstisium* noverant ac libros viri legerant, obierit, non jam dico; ne Panegyricum potius ei dicere, quam ipsius vitam describere videar voluisse. Sepultus est in præcipuo Urbis Templo, eo ipso, cujus omnem vetustatem atque historiam docto illo & laborioso Commentario, quem supra commemoravi, exposuerat illustraratque. Funus curavit ac monumentum defuncto erexit uxor *Valeria*, ex vetere atque inprimis honesta Murerorum familia progenita, quæ cum ipso conjunctissime in matrimonio vixerat, septemque ei liberos pepererat utriusque sexus. Ex filiis fuit, qui honores in civitate postmodum caperet; studiis tamen operatus est, quod resciscere potuerimus, nemo.

* * *

In Epistolis ad *Wolfg. & Abrab. Musculos* exaratis, quarum *αὐλόγαφα* Zoffingæ adservari dicuntur, exstant litteræ *Christiani Urstisi*, quas non inutile erit hoc loco subjicere.

Clariff. Viro, D. Abrahamo, Wolfgangi filio,
MUSCULO, Patriæ eruditionis hæredi, Dno
f. Bernam.

S. P. Innotuit mihi, Clarissime Vir, indicio M. Francisci Fischmanni, Pippinensis Ecclesiastæ, asservari isthic in Collegii vestri Bibliotheca, Chronicon quoddam Manuscriptum, ni fallor, multa rerum Helveticarum antiquitate refertum. Authorem & titulum Libri non tenebat, antiquus item an novus esset, ignorabat. Referebat tantum, D. Christianum Amportum, Collegii vestri præsidem ex eo cuidam commonstrasse, quantum Witlispachium oppidum Urbem vestram ætate præiret. Inde conjicere potui, Librum eum molienti mihi Rauracorum exactam descriptionem usui esse posse. Rauracos enim appello Juræ montis accolæ, inter quos Buchsigau vestri Arola flumine austrotenus terminati recensendi veniunt. Cum vero tua erga me voluntas aliorum relatu multo ante mihi innotuerit, quanquam collatis non acceptis beneficiis amicitias sanciendas esse norim, existimavi tamen te pro tua virtute, hoc mendicandi genus, ad quod instituto meo sum pertractus, mihi haud quaquam vitio versurum, quin potius tuam, sicubi fieri queat, benevolentiam mihi declaraturum. Oro igitur, humanissime Vir, ut, siquidem liber is ejusmodi
sit,

fit, quem sine vestro damno vel præjudicio mihi communicare possitis, apud eos, quorum interest, meo nomine efficere digneris, quo ejus mihi copia fiat. Nisi tantæ sit molis, ut viatorem nimis oneret, tuto eum modesto huic & erudito juveni, Joh. Jac. Bumanno, alumno Tigurino, Scholæ nostræ affectæ, mihi ferendum tradere poteritis. Quod si volumen amplum sit, nisi grave sit, obsecro, ut alia occasione mihi reddi cures; in vecturam si quæ expendenda sint, lubens dissolvam, bona fide recipiens, effecturum me, ut paucos post dies iterum ad vos redeat. Sin autem aliquid sit, quod thesauri loco habeatis, nolim vobis esse molestus. Ego vicissim ex gratæ officiosæque talionis lege, sicubi mea tibi opella usui esse queat, benevolentiae mutuum spondeo. Vale, Vir Clarissime, meæque importunitati ignosce. Basileæ. 8. Julii. 1579.

T. Studiosissimus.

Christianus Urstius

Mathemat. Profess.

(*) Virtute & eruditione præstantissim. Viro,
 D. Jo. Guilhelmo STUCKIO,
 Professori & Scholarchæ Tigurino, Domino &
 Amico suo colendo.

S.

Nunc tandem Ornatiss. D. Stucki, otium
 qualecunque nactus, ad literas tuas ex
 officio mihi respondendum esse duxi.
 Fuerunt enim illæ bimestri abhinc ad me datæ,
 amore & benevolentia erga me refertæ, ut effu-
 sus tuus in me animus, ad reponendum amicitiaë
 mutuum dudum cessationem omnem abrumpere
 debuisset. Verum, quanquam tardius me ad id
 composuerim, confido tamen te id variis negoti-
 orum remoris libenter adscripturum. Equidem
 quod postremis, ut arbitror, ad Clariss. Virum
 D. Lavatherum literis, missoque ad te *Basiliensis hi-*
storiæ præambulo tuam (utpote singulari virtute &
 eruditione præditi, simulque antiquitatis studiosi
 Viri) notitiam familiaritatemque mihi conciliare
 optarim, tu vero oblatum hominis etsi ignoti,
 amice tamen erga te affecti, votum, adeo prom-
 te amplexus sis, ut etiam res tuas hoc nomine cu-
 jusdam boni accessione auctas es duxeris: id po-
 tius

(*) Cum superior illa Urstifi Vita jam proelium ex-
 erceret, atque ego varias, quæ apud nos hinc inde in
 Scriniis reconditæ latent, hujus Viri Epistolas conquire-
 rem, opportune mihi oblata est hæc Epistola ex *ἀποστολῆς*
Φω, quod in Archivo Eccl. Tig. Tom. XLV. p. 411. ha-
 betur, amica manu descripta, quam præcedenti subjun-
 gere visum est. Forte alia vice delectum Epistolarum Ur-
 stifianarum ad nostrates tecum communicare licebit. J. B.

tius ſynceriffimi candoris tui, quam ullius in me rei fuiſſe agnoſco, quæ ad amicitiam mecum contrahendam firmiterque colendam allicere te potuerit. Atque ita cætera quoque mihi abs te tributa, animi potius amanter affecti voces, quam digna mihi præconia excipienda eſſe novi: Quocirca ob propenſam tuam in me voluntatem, qua me amicorum tuorum numero non indignum cenſueris, gratias ago habeoque ſummas, profiteorque me porro amici officium, non verbis ſolum, ſed & facto data occasione proſequuturum. Deus faxit, ut iſtæ mutui amoris primitiæ uberem aliquando meſſem conſequantur. Rerum Baſileenſium præludium a me editum, & ad te alioſque multos viros doctos miſſum eſt idcirco, ut eos ad inſtitutum meum promovendum excirem, adiutumque historiis pararem. Quamquam, cum tot nævis conſperſum ſit, ejus me pudeat atque pœniteat. Cœterum, quæ illius occasione de te, tuorum que Majorum apud Claronenſes nobilitate, ubi eos Secoviensis Eccleſiæ vaſallos fuiſſe memoras, gratiffima mihi jucundaque lectu fuerunt, imprimis vero volupe mihi fuit, te Baſileam pueritiæ tuæ altricem facere, eoque in Cœnobio apud materteram a teneris educatum, in quo poſtea ego, Magiſtratus noſtri juſſu atque permiſſu, & quidem eadem *Fulachiana* habitatione uſus, integrum biennium, annum videlicet ſupra ſexageſimum, quintum & ſextum, tranſegi, cujus rei præſens Oeconomus utpote hoſpes, omnesque noſtri mihi teſtes. Quocirca ſi quid pro locupletanda Baſilea apud te ſit, aut alibi noris, ut ejus me participem facere digneris, obnixè rogo: ego quicquid abs te earum rerum proſectum fuerit, tuo adſcri-

bam nomini. Demum quod mihi muneris Academici causa, ad quod ἐκὼν ἀκωυτε pertractus sum, gratularis, accipio id tanquam ab amico profectum, agoque gratias, ego si vestris eo commodare potero, promptissimum me in provehendis eorum conatibus sentient. *Matthiam* sane *Cellanum*, tum ob singularem modestiam, tum ob industriam atque diligentiam ab omnibus laudari scio: e cæteris vero quod nonnulli diligentes & assidui sint, pronuntiare nequeo, idque eam ob causam, quod reliquorum classicorum & ad gradus aspirantium more, negligentiarum censuram, quæ singulis mensibus bis habetur, non subeant. Existimarem autem, e re ipsorum fore, si lectiones sibi præscriptas tam stricte frequentare tenerentur, ut, quemadmodum alii, absentia suæ rationes coram Magistris nostris, reddere cogentur, ita enim & de cujusvis profectu & diligentia certius ad vos scribere possem. Tuum erit, quia Scholæ præfectum agis, super ea re deliberare, & quid statuatis, significare. Faxit Christus, ut omnes sitis diutissime incolumes. D. *Tribius* datis nuper ad me literis ipsum ad nos brevi descensurum promisit, cupio igitur illi meo nomine salutem dici, simulque me adventum illius expectare, quo si quid officii benevolentiaque exhiberi possim, me omne in eum effusurum. Salutem præterea ex me dici cupio D. *Lavathero*, *Halle-ro* &c. Tu interim Vir humanissime perpetuum vale. Basileæ IV. Kalend. Julii 1577.

Totus T.

Christ. Urstius.
(*Mathematicum Professor.*)

Epistolæ